R E C T O R
TOTUSQUE SENATUS RESTAURATÆ ACADEMIÆ GISSENÆ.

Omnibus omnium Facultatum Studioſis S. P. P.

QVa à Deo Ter. Opt. Max. ſuperiore anno, in ipſo Reſtaurationis hujus Academiæ actu, pro felici ejus incremento & ſalute, precati ſumus: ea omnia, quorum fama etiam ad exteras oras longè lateq; diffuſa eſt, magno cumulo impetravimus. Ab eo enim tempore, quo Sereniſſimus ac Celſiſſimus Princeps ac Dominus, Dn. GEORGIUS, *Haſſiæ Landgravius, Comes in Cattimeliboco, Deciâ, Zigenhainâ, Niddâ, Iſenburgo, Budingâ, &c. Dominus & Nutritius noſter munificentiſſimus, omnes cogitationes ſuas, ut Academiam hanc, ob certas cauſas ad tempus ſuſpenſam, reſtauraret, direxit, hocq; quod piè meditatus erat, nullis parcens ſumptibus, in actum deduxit, non ſolùm cœtus diſcentium haud exiguus hîc fuit collectus & indies magis magisq; auctus; verùm etiam in omnibus quatuor Facultatibus Academicis (quas non nemo, cum quatuor fluentis Paradiſi, quæ in diverſas inde partes terrarum Orbis diffunderentur, non inſcitè comparavit) Exercitia Academica & Lectoria & Diſputatoria hactenus frequentiſſimè ſunt inſtituta. Maximum hoc eſt beneficium, nec unquam ullius Oratione ſatis deprædicandū; cujus utilitas non ad unum duntaxat aut alterum hominem, non ad unam ſolùm aut alteram civitatem vel provinciam: ſed in communem noſtram Patriam Germaniam, adeoque in univerſum orbem Europæum redundat, & propterea citra ingratitudinis notam, diſſimulari haud debet. Grato igitur animo agnoſcimus divina hæc in nos largiter collata beneficia, Deoq; piis precibus proſperum Academiæ ſtatum ulterius commendamus, ſupplices orantes, ut creſcat hæc, Ipſius benignitate reſtaurata, Academia; proferat Eccleſiæ eximios Theologos, Reipublicæ Conſultiſſimos ICtos, Experientiſſimos Medicos, acutiſſimos Philoſophos, perpetuaq; felicitate floreat. Hac ſpe & voto freti, iterum, quod felix & fauſtum Deus eſſe jubeat, publicè proponimus Prælectionum indicem, quas ſemeſtri hoc æſtivo habituri ſunt omnium Facultatum Profeſſores. Veſtrum erit, Studioſi lectiſſimi, videre & deligere, quid utile vobis & frugiferum; quid ætati cujusq; & profectui, fini deniq; cujusque ac propoſito maximè conveniat. Non apta omnia ſunt omnibus, parumq; progreditur in ſtudiis, cui ordo & diſpoſitio non ſunt curæ. Nolite ergò, quod nonnulli in hoc faſtidioſo & ſolidioris literaturæ ferè pertæſo ſeculo (corrupto potiùs judicio, quàm veris rationibus permoti) facere ſolent, absq; Artium & Linguarum ſolidâ cognitione, ad ſuperiores Facultates pervolare: ſed ordinem, modum agendi, ſine quo nil rectè agitur, in diſciplinis ſervate. Cogitate etiam, proſperam rei gerendæ occaſionem negligere, maximam eſſe dementiam; fluere tempus, & avidiſſimos ſui deſerere: cum celeritate igitur temporis, utendi felicitate certate, divinum auxilium indeſinenter implorantes. Sic Deus veſtra fortunabit ſtudia: ſic eadem ad optatum producetis finem: ſic veſtris denique laboribus digna laudis & gloriæ præmia reſpondebunt. Ita vovemus & precamur. P. P. Dominica Lætare. Anno Chriſti M. DC. LI.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Juſtus Fewrbornius, SS. Theol. D. & Profeſſor. 1. Perget Acta Apoſtolorum publicis Lectionibus explicare: Siquidem hîc hactenus octo priora capita abſolvit. 2. Quoniam Collegiũ Anti-Calviniſticũ hâc hyeme abſolvit, poſthac Anti-Papiſticum inſtituet. 3. Publicas Diſputationes Theologicas, de variis cõtroverſiis Theologicis conſcriptas & porrò conſcribendas habebit.

Petrus Haberkorn/ S. Th. D. & Prof. P. abſolutis publicis Lectionibus hâc hyeme de Perſonâ Chriſti; Ad finem etiam perducto feliciter, privato Collegio Theologico, contra Becani Manuale inſtituto; Ut & Collegio privato Hebraico; Poſt nũdinas vernales pergam 1. in explicatione Articulorum Fidei reliquorum, in publicis lectionibus meis, 2. In Collegio privato Theologico, diſputãdo Exegeſin D. Menzeri, cõtra quoſcunq; Adverſarios Veritatis divinæ, Papiſtas, Calviniſtas, Photinianos, &c. pertractabo, Deo dante uſq; ad nundinas proximè autumnales. 3. Diſputationes etiam Theologicas, pertinentes ad ſecundum meum Syntagma de Myſterio SS. Trin. ex V. T. per futuram æſtatem publicè habebo & per Dei gratiâ expediam.

Balthaſar Mentzerus, SS. Theol. D. ejuſdemq; ut & Hebrææ Linguæ, Profeſſor & Stipendiatorum Ephorus. ſimulatq; huc venerit, quod propediem fiet, S. Theologiam publicè legendo & diſputando, Collegiaque Theologica & Hebræa inſtituendo, fideliter proponet & exponet.

IN FACULTATE JURIDICA.

Juſtus Sinolt dictus Schütz/ *V. J. D. Cancellarius & Profeſſor primarius*, Lectiones ſuas publicas pro qualitate Auditorum de utiliſſimis Conſtitutionum Imperialium materiis inſtituet, nec non ſingulis ſeptimanis publicè diſputabit.

Gregorius Tülſnerus, V. J. D. Conſiliarius, & Pandectarum Profeſſor Ordinarius, p. t. Rector, quantum per negotia publica fieri poterit, in explicandis, prioris partis Digeſtorũ, Legibus inſignioribus perget; privatim etiam Studioſorum petitioni ſe accommodabit.

Jacobus Le Bleu, J. V. D. ejuſdem & extraordinarius Profeſſor & Acad. Syndicus, publicè interpretaturus eſt librum ſecundum Inſtit. & ſimul in Jure Collegia privata pro lubitu Studioſorum eſt aperturus.

Martinus Müller, J. V. D. ejuſdemq; Profeſſor Extraordinarius, per æſtatem materiam Obligationum & Actionum pertractabit & abſolvet. Et Collegia Inſtitutionum & Pandectarum privata Explicatoria & Diſputatoria continuabit; alia etiam Exercitia Juris, prout Perſonarum, ſtudii rerumq; ipſarum exiget ratio, inſtituturus, & in omnibus operam fidemq; ſedulò præſtiturus.

IN FACULTATE MEDICA.

Johan. Daniel Horſtius, Medicinæ D. Profeſſor & Archiater, ubi per negotia Aulica licuerit, Collegium inſtituet, in qua Chemiam, quâ poterit brevitate pertractabit, exponetq; modum Salia, Spiritus, Olea & Magiſteria ſelectiſſima parandi.

Johannes Tackius, Phil. & Med. D. Phyſices & Medicinæ Profeſſ. Ordinarius, in Phyſicis quidẽ compendium quoddam breve & perſpicuum feliget, idq; lectionibus Phyſicis auditoribus explicabit: In Medicis verò poſtquàm inchoatas de actionibus animalibus lectiones abſolverit, quæſtionibus Medicis jucundis & utilibus reliquum quod ſupererit temporis inſumet. Exercitia quoq; publica & privata inſtituet.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

M. Caſpar Ebelius, Logicæ & Metaphyſicæ Prof. Ord. In Logicis publicè bonum & idoneum diſputatorem informabit. *In Metaphyſicis*, ad reprimendas hujus & illius score vel literatoris inanes querelas, ſi auditores idonei adfuerint, illuſtriores quæſtiones & regulas explicabit, earumq; uſum in Theologia oſtendet. In Collegiis Logicis & Metaphyſicis, quà privatim, quà publicè, Collegarum deſiderio & captui ſeſe planè accommodabit, nec ad Metaphyſica vocabit, qui nondum congruè loqui aut Syllogiſmum rectè formare didicerunt.

M. Jo. Cunradus Dietericus, Græcæ Linguæ & Hiſtoriarum Profeſſor, Facultatis h. t. Decanus, Onomaſiam & Phraſeologiam Novi Teſtamenti, alio quàm hactenus inſtituet modo, nimirum juxta Concordantias, initium facturus à litera α. Qui eſt α & ω noſtrarum operationum Deus clementer concedat, ut ab α ἀγαθῶς ordiamur, & in ω ὠφελίμως deſinamus. *Breviarium* quoq; *Hiſtoricum* in publicum edet, juxta quod Lectiones hiſtoricas in poſterum inſtituet ſine circuitione, illuſtria & maximè neceſſaria traditurus.

Jacobus Le Bleu, J. V. D. & Civilis prudentiæ ut & Lingu. exot. Profeſſor ordinarius, Synopſin Politicam Beſold. inchoatam continuabit in prælectionibus Publicis: Collegia Politica privata, ut & Linguarum, pro deſiderio ſtudioſorum aperiet.

M. David Chriſtiani, Pomer. Mathemat. Prof. Ord. abſoluto triplici, eoq; famigeratiſſimo, Mundi Syſtemate, *Ptolemaico, Copernicao & Tychonico*, jam porrò ſingulorum nævos & imperfectionem monſtrabit & veram Mundi [illegible] inveſtigabit. *Diſputationes* etiam publicas inſtituet. Privatim Collegia *Arithmetica, Geometrica, Geographica, Aſtronomica, Aſtrologica, Optica & Fortificatoria*, aperiet.

Martinus Müller, J. V. D. & Philoſophiæ Moralis Profeſſor Ordinarius ea, qua cœpit methodo, præcepta Ethices generalia præmittendo, & controverſias potiores ac utiliores breviter decidendo, publicè perget. Collegia etiam privata aperiet.

Johannes Helvicus Sinolt cogn. Schütz/ *J. V. L. & Oratoriæ Profeſſor Ordinarius*, Commentationem de Stylo Oratorio abſolvet. Quæ deinceps tractaturus ſit, propediem ſignificabit.

GISSÆ, *Typis* JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, Academiæ Typographi, Anno 1651.